Quæstio Medica Quodlibetarijs Disput. agitanda In Scholis Medicorum die Jouis 14a februar.

Doctissimo viro D. Jacobo Marant D. M. Moderatore prudentiss.

An Cacochymiæ salutaris Inedia?

Hepar facultatis altricis ad restaurandas subas dissipatorum insitas domicilium, et humorum ab uno calore genitorum officina, Chylum ventriculi munere fermentato vicinarum partium calore confectum, in sanguinem conuertit; cuius crassiorem partem expeditum et abunde saturatum superfluum a se deponit. Nec tamen prouidentia reliquarum partium nutritioni consulit. quamquam venas in corpus vniuersum diffundit, velut canales sanguinem distributuras: qui legitimum naturæ modum excedens plenitudinem parit (qua perennientes venulis calore commodius, quam praui, primoque ventriculo) corpori grauitatem, et ad functiones obeundas segnitiem, adsciscentem, natiuumque calorem si vasa distenderit, tandem obruentem.

Humores à sanguine reliqui quo vehiculo naturæ motus, cum vitium contrahunt, deinde profectam à putredine (ad quam densa corpora valde procliuiora sunt) aut impuris alimentis cacochymiam efficiunt, quas ex ætatum inclinatione temperamenti mutatione adducente, sic vita consuetudine, non nisi sensim immutanda varia cumulatur. Hinc otio cruditatis authore, desidiaque torpescentes pituitam, à qua natis morbis venus est remedio, immodicis exercitationibus corpora fatigantes bilem propagandæ soboli aduersam; grauioribus de rebus seu animi relaxatione solliciti melancholiam arduam, timore, mæstitiaque persequendam dignoscendam; quâ redundantibus confidentiam venus adserit, et animi hilaritatem.

Cacochymi cuiuslibet humores tacitas et quasi sopitas vires inedia detegit: dum assueti cibi copia minime auocatus calor, per corpus vniuersum diffusus, noxios humores exagitat: ad quos sensim excludendos angustos cutis meatus patentiores efficit, primumque corporis habitum sic euacuat, ut Phlebotomiæ vices (à qua æque repente alimento copioso non est reficiendus) vtcumque imitetur. Ad valetudinem vero conseruandam quæ in optima primarum qualitatum temperie consistit, plurimum conducit: cum sit præcipuum sanitatis studium ad labores alimenti concoctionem suscitato calore incumbere, impigrum esse, nulla satietate premi nec fame (quæ ventriculum obsidente à labore cessandum) nimium torqueri.

Ad morbi curationem quæ legitima esse nequit nisi causa primum deinde grauius affectus remoueatur, tantum confert potest inedia, ut huius ope periculosi morbi foelicem exitum sine violentia corporis, aut humorum perturbatione consequantur. Illius autem præscribendi ratio ab ægrotantium viribus dum dissoluuntur, plenior victus reficiendis, est desumenda, aut particularis ~~ciborum~~ accessione ciborum oblationem prohibente, vel morbi constitutione, qui si acutus in 14 diebus iudicandus, tenui exquisitoque victu vtendum est: quamquam semper in morbis longis (qui per humoris abscessum à parte in aliam iudicantur) in acutis vero in quibus non conuenit, sit periculosus, et in tenui victu magis delinquam, quam in paulo pleniore.

Impati tamen purgatione (ad quam omni anni tempore vere aptissimum) redundantem humorem educente curandi, qui velociorem alimenti, tu in processu tum in aduersa valetudine necessarij copiam assumpserint, eo maius sua perniciei incrementum adferent. at Inedia quam senes omnes facillime ferunt Juuenes vix, vtiles in sanguinem mutat alendo corpori idoneos, tenues ac supernatuos humores per insensilem transpirationem euacuat, crudos et quorum albas et pertinaces vrinas sunt indices, superstite integroque calore concoquit, crassos crudosque, partibus vicinis inhærentes attenuat, lentos digerit. Sani vero qui præter consuetudinem à cibo diutius abstinent, oris amaritudine, cibi fastidio, frequenti denique cardialgia.

Ergo Cacochymiæ salutaris Inedia.

Ponebat Claudius Fauuelet Senonensis. 1577.

D. D. Disputat.

M. Domin. Bourgoing. M. Yuo Marchant. M. Claudius Bailly

M. Lazarus Thenot M. Bartholomæus Passart. M. Stephanus Gourmelen

M. Martinus Evrard. M. Joannes Faber. M. Joannes Liebaut.